

quam absurdum sit nemo non videt. Fatemur quidem Theologiam, aliasque omnes doctrinas & scientias ordinari ad ulteriorem quasque terminum, & ad certum finem: sed negamus finem aut terminum aut objectum facultatis, habitus, esse essentialiter aut formaliter idem cum illâ facultate aut habitu. Est enim finis, terminus, actus, illud ad quod habitus ordinatur tanquam medium in esse intentionali seu secundum intentionem & tanquam causa in esse reali secundum realem ac Physicam productionem. Iam vero causa cum causato confundenda non est; nec si quid causæ tribuitur illud ideo causato tribuendum est, aut vice versa. Artes omnes, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Politica, OEconomica, Poëtica, Historica, &c. sunt & manent in intellectu tanquam primo & proximo suo subjecto: & tamen ordinantur Politica, OEconomica, Scolastica ad vitam ac virtutem Politicam, aut OEconomicam, aut Scolasticam, quæ sunt in voluntate. Similiter omnes reliquæ artes ordinantur ad aliquem usum & praxin boni honesti aut utilis in vita hominum, iam vero debita & honesta ordinatio & applicatio istarum artium ad praxin boni honesti & utilis est in voluntate, aut saltem non est sine voluntate: inde tamen non sequitur omnium istarum artium primum & proximum subjectum esse voluntatem.

XI. *Probl.* Quodnam sit objectum theologiæ? *Respo.* à quam plurimis, cum communi scolâ ad I. qu. I. art. 7. statuitur Deus. Et ratio palmaria est: quia sub illius ratione formali omnia Theologica ad Theologiam referuntur, & in ea tractantur. Fuerunt tamen nonnulli, ut notatur ibid. articulat. qui subjectum (objectum) posuerunt res & signa: alii opera recreationis: alii totum Christum, caput scilicet cum membris, Sed excipitur